

## PROPHETIA MALACHIAE.

**M**ALACHIAE nomen in Hebraeo sonat, Angelum, quod moribus & officio praestitit hic Propheta, ultimus Prophetarum; Nehemia fuisse aequalem, Aggeus & Zachariae supparem ex eo colligunt, quod non hortetur populum ad adificationem templi, ut illi fecere, sed extracto iam templo, eas reprehendat corruptelas, quas tempore secunda sua praefectura apud Iudaeos se deprehendisse Nehemias affirmat: coniugia nimirum cum alienigenis inita, decimarum detentionem, & divini cultus depravationem. Et quia deinceps solita Prophetarum successio non erat expectanda: extremis Prophetiae verbis populum hortatur Malachias, ut Legi Moysi constanter adhaereat, usque dum exhiberetur summus Propheta Christus, cuius praecursor Joannes Baptista venturus esset in spiritu & virtute Eliae, ut converteret corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam iustorum.

Malach. 4. Quod spectat illa Ecclesia vox apud Hieronymum, Comment. 13. in Isai. cap. 49. Post  
cum Luc. 1. Aggeum & Zachariam, & Malachiam, nullos alios Prophetas usque ad Joannem Bap-  
& Matth. tistam videram. Voluit nempe Deus ista fame verbi (ut Propheta loquuntur) appetentiores  
11. 14. & Messia facere Iudaeos, qui Prophetas omnes miraculis esset superaturus.  
17. 12.

### CAPUT PRIMUM.

Prophetia Malachiae ad Israel, quem Dominus arguit ingratitude, quod non agnoscebat se in Iacob, unde descenderat, dilectum, reiecto Esau cum populo suo: ideo conqueritur se ab Israel non honorari, neque timeri, quodque sacerdotes despiciant nomen Domini, quorum rejicit sacrificia, gratam habens oblationem mundam quae in omni loco ei offertur.

**I.** **N**us verbi Domini ad Israel in manu Malachiae.

2. Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus, & dilexi Iacob,

\* Rom. 9. 13. 3. Esau autem odio habui? & posui montes eius in solitudinem, & hereditatem eius in dracones deserti.

4. Quod si dixerit Idumaea: Destructi sumus, sed revertentes aedificabimus quae destructa sunt: Haec dicit Dominus exercituum: Isti aedificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus est Dominus usque in aeternum.

5. Et oculi vestri videbunt: & vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israel.

6. Filius honorat patrem, & servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus: & si Dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum? ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum?

7. Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est.

8. Si offeratis caecum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.

9. Et nunc deprecamini vultum Dei ut misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum.

10. Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra.

11. \* Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.

12. Et vos polluistis illud in eo, quod dicitis: Mensa Domini contaminata est: & quod superponitur, contemptibile est cum igne, qui illud devorat.

13. Et dixistis: Ecce de labore, & exustastis illud, dicit Dominus exercituum, & intulistis de rapinis claudum, & languidum, & intulistis munus: numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus?

14. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.

CA-

### CAPUT II.

Comminatur Dominus se maledicturum benedictionibus sacerdotum, nisi respiciant: ipse enim legem contemnunt, irritum facientes pactum Levi, qui hic laudatur: transgressus est & Iuda ducens alienigenas, quapropter non respiciet deinceps Dominus ad sacrificium eorum: de uxore diligenda, seu dimittenda: laborare fecerunt Dominum in sermonibus suis.

**E**T nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes.

\* Lev. 26. 14. Deut. 28. 15. 2. \* Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis: quoniam non posuistis super cor.

3. Ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum sterus solemnitate vestrarum, & assumet vos secum.

4. Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum.

5. Pactum meum fuit cum eo vita & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pavebat.

6. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inventa in labiis eius: in pace, & in aequitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate.

7. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est.

8. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum.

9. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, & accepistis faciem in lege.

\* Matth. 23. 9. Ephes. 4. 6. 10. \* Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum?

11. Transgressus est Iuda, & abominatio facta est in Israel, & in Ierusalem: quia contaminavit Iudas sanctificationem Domini, quam dilexit, & habuit filiam dei alieni.

12. Disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magistrum, & discipulum de tabernaculis Iacob, & offerentem munus Domino exercituum.

13. Et hoc rursus fecistis, operiebatis lacrymis altare Domini, fletu, & mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra.

14. Et dixistis: Quam ob causam? quia Dominus testificatus est inter te, & uxorem pubertatis tuae, quam tu despexisti: & haec particeps tua, & uxor foederis tui.

15. Nonne unus fecit, & residuum spiritus eius est? Et quid unus quaerit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, & uxorem adolescentiae tuae noli despiciere.

16. Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel: operiet autem iniquitas vestimentum eius, dicit Dominus exercituum: custodite spiritum vestrum, & nolite despiciere.

17. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, & dixistis: In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent: aut certe ubi est Deus iudicij?

### CAPUT III.

De praecursore Christi, & huius adventu, ac futuro iudicio; qui purgatis filiis Levi gratum habebit sacrificium Iuda & Ierusalem: comminatur sceleratis gravem ultionem: quos tamen ad se revocat, plurima bona conversis promittens: conqueritur de ingratitude filiorum Israel, & quod ipsum in decimis suis consignat, quodque dicant Deo non esse cura suos cultores, cuius contrarium tandem experientur.

**E**Cce ego mitto angelum meum, IN PURIFICATIONE VIRGINIS. Math. 11. 10. Marc. 1. 2. Luc. 1. 17. & 7. 27. & praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, & angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum:

2. & quis poterit cogitare diem adventus eius, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullionum:

3. & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.

4. Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem sicut dies saeculi, & sicut anni antiqui.

Hhhh

5. Et



5. Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maléficus, & adulteris, & per iuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.

6. Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non estis consumpti.

7. A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. \* Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In quo revertemur?

8. Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis, & in primitiis.

9. Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.

10. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam,

11. & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum.

12. Et beatos vos dicent omnes Gentes: éritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.

13. Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus.

\* Tob. 2. 22. *Iob 21. 15.* 14. \* Et dixistis: Quid locuti sumus contra te? Dixistis: Vanus est, qui servit Deo: & quod emolumentum quia custodimus præcepta eius, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?

15. Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum, & salvi facti sunt.

16. Tunc locuti sunt timentes Dominum, unusquisque cum proximo suo: Et

attendit Dominus, & audivit: & scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius.

17. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, quæ ego facio, in peculiis: & parcam eis, sicut parcat vir filio suo ferventi sibi.

18. Et convertemini, & videbitis quid sit inter iustum, & impium: & inter fervientem Deo, & non fervientem ei.

## CAPUT IV.

*Dies Domini inflammabit omnes facientes impietatem, evulsâ ipsorum radice: orientur sol iustitiæ Deum timentibus, qui calcabunt impios: iubet reminisci legis Moysi: Elias antequam veniat dies Domini mittendus prædicitur, qui convertat cor patrum ad filios.*

1. **E**CCE enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, & germen.

2. \* Et orientur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & fanitas in pennis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento. \* Luca 1. 78.

3. Et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum in die, quæ ego facio, dicit Dominus exercituum.

4. \* Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israël præcepta, & iudicia. \* Exod. 20. Deut. 4. 5. & 6.

5. \* Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. \* Matth. 17. 10. Marc. 9. 10.

6. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate. \* Luc. 1. 17.

LIBER PRIMUS  
MACHABÆORUM.

**L**IBRI MACHABÆORUM tres adhuc circumferuntur, sed duo tantum priores auctoritate Canonica sunt habiti: iique soli iam in sacris Bibliis extant. Vocantur autem Machabæorum, quod Iudas Asmonæus, divine legis propugnator, idemque libertatis vindex acerrimus, in vexillis scriptam habuit sententiam eam que extat Exod. 15. 12. Mi Camoca Be Elim Iehova. Quis similis tui in Diis, Domine? Solent enim Hebræi primas litteras nominum colligere, & ex eis collectis vocem fingere compendij causâ. Exponunt hi duo libri statum Ecclesiæ Dei sub tertiâ, hoc est, Græcorum Monarchiâ. Eos à diversis Scriptoribus exaratos vel inde patet, quod prior historiam longius continuet, & posterior alius paulò repetat, ac easdem sæpe res aliter narrent. Stylus etiam longè diversus, siquidem prior ad phrasim hebræam propius accedit: Imò non eadem in utroque annorum ratio.

Hoc ultimum ut clareat, notandum est æram regni Græcorum non statim à morte Alexandri incipere, sed anno post undecimo, cum Seleucus Nicanor Sasanâ & Mediâ devictis, iam regiam maiestatem & gloriam principatu dignam adeptus, regnare cepisse dictus est; unde hæc æra Seleucidarum est appellata. Æram Dhilkarnaim Arabes vocant, sive Cornigeri, id est Alexandri, qui Ammonis seu Iovis Cornigeri filius existimari volebat. Iudæi verò in suo Calendario æram contractuum nominant; fortè quod in obsequandis contractibus soleret adhiberi. Huius initium Epoca ab illo anno deducere solemne est, qui ante æram Christianam putatur 312. & est in Per. Iul. 4402. quo 117. Olympias inuit. Verum triplicem hanc pro triplici diverso initio facit Scalig. Can. Isag. lib. 3. idque iam apud doctos receptum est. PRIMA, Iudaica dicitur, quam Iosephus & Auctor libri primi Machabæorum sequuntur. Uterque annos Græcorum vocat, Iosephus semel annos Assyriorum Antiq. lib. 13. Hæc autem à Nisan, seu verno mense incipit. SECUNDA Antiochena, seu Alexandræa vocatur quæ ab autumno subsequente & Tifri procedit, à quo etiam annos Dhilkarnaim ab Arabibus, & Contractuum à Iudæis numerari docet Peravius lib. 10. de doct. temp. & Vfferius in Annalibus: dissentiente licet Scaligero, qui hos à Nisan incipere vult. Collector 2. lib. Machab. hæc æra usus est: ita ut anni prioris libri, sex mensium intervallo posterioris antevertant initia. TERTIA quoque additur, quæ Chaldæorum est, quæque à vere sequente incipit. Ita fit ut anno integro hæc æra sit Iudaica posterior; Antiochena verò intervallo tantum semestri. Atque hanc in Principum rescriptis usurpatam censet Vfferius (ut hic in lib. 2. cap. 11. perspicere licet) necnon in magna Ptolemæi Syntaxi lib. 9. cap. 7. & lib. 11. cap. 8.

Hæc autem discrepantia, quæ nemini unquam ante Scaligerum oboluit, ut ipsemet ait, maximè notanda venit iis qui utriusque libri Machabæorum historiam, ad concordem chronologiam, quæ per annos circiter 40. extenditur, revocare studuerint. Cuius breve specimen hic annotare visum est.

**A**lexandri Magni expeditio, mors, & regni divisio. 1. lib. cap. 1. vers. 1. & seq.

Seleucus Philopater Oniz Pontificis pietate ductus præstat omnes sumptus ad sacrificia. 2. l. 3. 1. — 3.

Heliodorus ab eo missus ut ærarium diriperet, ab Angelis flagellatur. 2. lib. 3. 1. — 40.

Antiochus Epiphanes Seleuco fratri succedit. 2. lib. 4. 7. & 1. lib. 1. 11. & seq.

Oniam expellit, & impium Iasonem fratrem eius substituit. 2. lib. 4. 7. & seq.

Primam in Ægyptum expeditionem suscipit. Inde Ierosolymam pacatus ingreditur. Ibid. 21. 22.

Summoto Iasoni Menelaus substituitur. Ibid. 23. & seq. Huic Alcimus 2. lib. 14. 3.

Secunda expeditio in Ægyptum, unde rediens Antiochus Ierosolymam armis capit, & templum expoliat. 2. lib. 5. 1. & seq. 1. lib. 1. 17. & seq.

Post duos annos misit Apollonium in Iudæos. 1. lib. 1. 30. & 2. lib. 5. 24.

Iudæos ad ritus Gentium transferre molitur. 1. lib. 4. 3. & seq. 2. lib. 6. 1. & seq.

Eleazarum, item fratres septem Machabæos, cum eorum matre, exquisitis tormentis cruciat. 2. lib. 6. 18. & seq. cum toto cap. 7.

Mathathias ministrum Regis sacrificare cogentem interficit, & cum suis in desertum fugit, hõsque Philippus insequitur. 1. lib. 2. 1. & seq. 2. lib. 7. 1. & seq.

Filios cohortatus moritur; Iudas Machabæus in locum patris sufficitur. 1. lib. 2. 49. & 3. 1. & seq. ac 2. lib. 8. 1. & seq.

Antiochus Epiphanes in Persidem proficiscitur, relicto Lyfiâ super regiones inter Euphratem & Ægyptum. 1. lib. 3. 27.

Ptolemæus filius Dorimini, Nicanor & Gorgias, à Lyfiâ & à Philippo Hierosolymam (2. Mach. 5. 22.) misit, ut universum Iudæorum genus decerent, à Iuda vincuntur. 1. lib. 3. 38. & seq. 4. 1. & seq. 2. lib. 8. 8.